

perspicitur, majorem esse falsissimam, quod sc. omne id, quod est ambulans, contingat esse hominem, cum risibile & capax disciplinae possit esse ambulans, nec tamen risibile vel disciplinae capax contingat esse hominem. Potest 2. etiam, responderi, Majoris propositionis subjectum non sumi pro illis, quae esse possunt, sed pro iis solum, quae actu sunt, ex contingentibus autem nihil sequitur, nisi majoris subjectum sumatur pro illis etiam, quae possunt esse.

SOPHISMA XIII.

*Paulus raptus fuit in caelum,  
Paulus raptus fuit in carcerem.  
E. Carcer est caelum.*

Resp. Confunduntur termini obliqui cum rectis, & inde quinque oriuntur termini. 1. Paulus. 2. raptus fuit in caelum. 3. raptus fuit in carcerem. 4. carcer. 5. caelum. Si conclusio h. m. infertur. E. Quidam qui raptus fuit in carcerem, raptus fuit in caelum, nihil vitii apparet.

SOPHISMA XIV.

*Deus creavit caelum.  
Deus creavit infernum. E.  
Infernus est caelum.*

G 5

Resp.